

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 1: De peccatis Caput 6: De gula (18)

Idem (Gregorius):

Ea itaque sumenda sunt que nostra necessitas exigit,  
et non que edendi libido suggerit.  
Sed magnus discretionis labor est huic exactori et aliquid impendere,  
et aliquid denegare,  
et non dando gulam restringere, et dando naturam nutrire.

Sciendum vero est quod sic voluptas sub necessitate se palliat,  
quod vix eam perfectus quisque discernat.  
Nam dum solvi debitum necessitas petit,  
voluptas explendi desiderium suppetit,  
et tanto gula securius in preceps rapit,  
quanto sub honesto nomine necessitatis explende se contegit.

Ea itaque sumenda sunt quae naturae necessitas quaerit,  
et non quae edendi libido suggerit.  
Sed magnus discretionis labor est huic exactori et aliquid impendere,  
et aliquid denegare;  
et non dando gulam restringere, et dando naturam nutrire.  
Quae fortasse discretio subinfertur,  
cum dicitur: *Clamorem exactoris non audit.*  
Sermo namque huius exactoris est necessaria postulatio naturae.  
Clamor uero eius est mensuram necessitatis transiens appetitus gulae.  
Hic itaque onager exactoris huius sermonem audit, clamorem non audit,  
quia discretus uir ac continens  
et usque ad temperandam necessitatem uentrem reficit,  
et a uoluptate restringit.  
Sciendum uero est quia sic uoluptas sub necessitate se palliat,  
ut uix eam perfectus quisque discernat.  
Nam dum solui debitum necessitas petit,  
uoluptas expleri desiderium suppetit;  
et tanto gulam securius in praeceps rapit,  
quanto sub honesto nomine necessitatis explendae se contegit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 30.18 (CCSL 143B, M. Adriaen ed., pp.1532-3, ll.101-116).